



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 3. Literæ ad Episcopos Africæ datæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

diu labefactatam reparandi, iussitque Patriarcham Michaellem Cerularium ad Papam in eundem finem epistolam dare. Hæ literæ cuidam ex præpositis vestiario Cæsareo deferendæ commissæ sunt, qui eas Argyro, Duci Italiæ, & iste Papæ anno millesimo quinquagesimo tertio exeunte reddidit.

Sæculum XI.
A.C. 1053.

*Mich. ep. ad
Pe. Ant.*

§. III.

Literæ ad Episcopos Africae datæ.

Interim Papa a tribus Episcopis (quique autem omnino in Africa sub iugo Musulmannorum supererant) literas accepit, in quibus querebantur, Episcopum Gommitanum novâ moliri, & exquirebant, quemnam pro suo Metropolitico habere deberent. Nimirum postquam Carthago Africanarum civitatum caput esse desiisset, jam diu tota conciderat. Respondit Papa datis duabus epistolis. Prima inscribitur Thomæ, quem Episcopum Carthaginensem fuisse credunt. Ei initio epistolæ miserationem suam profitetur, quod Ecclesia Africae tam paucos jam haberet Episcopos, quæ olim ducentos & quinquaginta in suis Conciliis numerasset. Deinde declarat, Episcopum Carthaginensem esse totius Africae Metropolitam, sine cuius consensu Episcopo Gommitano Episcopos consecrare, deponere, aut Concilia

Leo ep. 3.

Sæculum XI.
A.C. 1053.

provincialia convocare fas non esset, sed solum de rebus suæ Diœcesis decernere liceret. *Ceterum, inquit, memento sine Papæ mandato nec Concilium Generale celebrari, nec Sententiam ultimam in Episcopum ferri posse, quod in Canonum collectionibus invenies, nempe in falsis Decretalibus.* Hæc Epistola decima septima Decembris, anno sui Pontificatus quinto, Indictione septima, seu anno Salutis millesimo quinquagesimo tertio data. Altera epistola ad duos alios Episcopos Petrum & Joannem directâ eandem sententiam continet, & subjungit Ecclesiarum Metropoliticarum institutionem, prout in falsis Decretalibus, quæ citantur, refertur.

§. IV.

Legatio Constantinopolim adornata.

Eodem tempore Papa tres viros, qui Legatione ad Constantinopolitanos destinata fungerentur, scilicet Humbertum, Petrum & Fridericum, deligebat. Humbertus aliquando monachus fuerat in Monasterio minore * Diœcesis Tullensis, unde Romam a Brunone Episcopo suo, qui Cathedram Petri conscendit, perductus, ab eodem Cardinalis & Episcopus Silvæ candidæ seu Sanctæ Rufinæ creatus est. Petrus erat Archiepiscopus Amalphitanus. Fridericus vero, frater Godfridi

* Mojen-
moutier.
vit. Leo IX.
Sæc. VI.
Ben. n. 9 &
ibid. Mabil.